

*Errores, enim demonstrati religionis & impietas, & mendacia detecta & epiphonemate omnia claudēs, ait. Multis bonis auxit etatē nostrā propitius Deus, & quasi armavit aduersus calamitates & maximas impressiones.*

An non est Camerarius illi ægroto, qui medicum suum ferum appellebat ac formidabilem, quia curet fricari, corpus abstergi, pustulas aliquādo excitari, mox tamē subiungat, fera se scabie esse liberatum, paralysi absolutum, erutum ex maxima febri, & initij melancholiæ sublatis, in hominem alium physici beneficio euasisse:

Est perpetuus, & constans in mundo aridatum, æstu um, gelū, alluvionū, copiæ, caritatis circuitus, & summa varietas. Non potuere vlli vnquam populi non se vexare mutuis damnis, & cladibus, modò ciuilibus, modò ex ternalis bellis afficti. Viguere statis temporibus, vel potius incertis humanæ vitæ scelera, vitia cuncta: post vitia virtutes viderunt omnes gentes, & post virtutes nefaria facinora subsecuta sunt: & hanc tantam uicissitudinem nondum agnoscimus: Et si ad arma eatur, proinde perturbamur, atque si rem inauditam uideamus accidere: Et res usitatissimas, antiquissimas, quotidianas, necessariò incidentes, uiso lucido Cometa uolumus à cœlo, uel fieri, uel portendi: Et propter bellum in quo corpus affligitur, & ubi ex mille uix unum habeas non eo exitu dignum, non raptorem, non furacem, non uiolentum, non humani sanguinis auidissimum, uocamus ætatem, aut annum luctuosum à phasmate infælici editum, cum eadē ipsa hora fateamur, non eundem solum annum, sed integrum ætatem 40. annorum esse beatam, esse uerè felicem. Conferat Camerarius rem cum re, tempus cum tempore iudicium cum iudicio, causam cum causa, malorum & bonorum. Luget muliebri eiulatu, quod rapaces & impij trucidentur, quod panis minuatur à pistore, quod famæ magistra discat se homines minus infarcire, minusq; abdomen distendere. Neque uidet uera bona esse, uitutem, honesti studium, literarum cultum, religionis ac pietatis.